

CXV.

1388. die 6. Octobris Scardonae.

Foedus inter Spalatenses, Sibenicensis et aliquos nobiles Dalmatiae contra Sigismundi Regis aemulos initum.

In Christi nomine Amen. Pateat vniuersis et singulis presentes litteras inspecturis, quod egregii viri Dominus Comes Neliptius, natus bone memorie Domini Comitis Constantini, Castellani Scardonensis, suo nomine, Cumulus de Petrarchis de Spaletto Comes, et viri nobiles Thomas Dobruli et Zori, habentes ad infrascriptam potestatem et baliā a civitate Spalatensi, vice et nomine dicti Comitis; et eidem Domini Comulus Comes predictus ac viri nobiles Doymus Zuratic, Johannes Naplavich, Saracenus Nicolai et Thoma Dominici de Sibenico, auctoritate et balia eis attributa per communitatem Sibenicensem, vice et nomine dicti Comitis; egregius vir Comes Wido Comitis Georgii Vgrenich, per se et nomine Comitis Georgii, fratres; et domina Elisabeth relicta olim Comitis Nicolai, sui fratris, pro quibus promisit de rato, — cupientes sese et terras, loca et bona quaecunque sua dictis nominibus conservare in fidelitatem debitam sacre corone Vngarie ad honorem dicte corone, considerantesque turbines eturbationes varias, quibus precipue regna Dalmatie et Croatiae ad presens affliguntur, maxime per illustrissimum Principem Dominum Stephanum Tuarchonem, regem Bosne, et Dominum fratrem Johannem de Palisna et quoscunque alios infideles, inimicos et rebelles sacre corone predictae, ad conservandum commodius fidelitatem, et quia funiculus triplex dificele solvitur, fecerunt inter se et ordinaverunt ligam, vnionem, duraturas vsque ad beneplacitum dicte corone, omni modo, iure et forma, qua melius potest, sub modis, pactis et condicionibus, videlicet: Quod vna pars alteram, et altera alteram teneatur et debeat adiuuare, prestando vna pars alteri consilium, auxilium et favorem contra predictos, et generaliter contra quoslibet infideles, inimicos rebelles dicte corone, et contra prestantes dictis infidelibus, inimicis et rebellibus auxilium, consilium et favorem. Item quod si rebus exigentibus de regno Hungarie aliqua novitas evenerit, dictarum partium non possit nec valeat alicui Principi, Dominio persone, communi vel vniuersitati, nisi cum voluntate aliorum colligatorum liceat offendere inimicos, infideles et rebelles, et prestantes eis auxilium et favorem, absque reprehensione aliqua aliorum colligatorum; pro quibus omnibus attendendis et observandis bona fide, sine fraude, prestiterunt subscriptis nominibus corporale iuramentum, in ecclesia B. Virginis Cathedralis Scardone. Anno nativitatis Domini MCCCLXXXVIII. Indictione XI. die Martis, VI. Octobris. In quorum omnium testimonium quatuor littere eiusdem tenoris sunt confectae, deinde singulis partibus predictis sigillis Domini Neliptii et dictarum communitatum et dicti Domini Widonis a tergo sigillande.